

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Ioannes Calvinvs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

IOANNES CALVINVS
Theologus.



Gallia me recipit doctore & Scotia Christum:
Pastorem sepelit culta Genœva suum.

M. D. LXIV.

R

IOANNES CALVINVS NOVIODVNI

Veromanduorſi celebri oppido natus, an. M. D. l. X.

Lutetiæ primò Philoſophiæ, dein Aureliani &

Biturig. Iuriſprudentiæ ſimul ac Theologiae excultus ſtudijs:

Baſileæ totus Hebræicis addiſtus literis:

Italiã dehinc à limine ſalutatã, patriæ valedi-

cens Galliæ, in Germaniam per Allo-

brogos reſeſſus:

Genevæ, præter ſpem ac votum, non modò

concionator, ſed & ſacrarum doctor literarum

à S. P. Q. G. delectus anno M. D. XXXVI:

Quã in vrbe Chriſtianam religionem ac diſci-
plinam, Antichriſti iugo liberatam, cum Guil-

Farello & P. Vireto primus conſtituit,
inſinitis cum difficultatibus:

Ob quas deinceps vrbe aliquantisper exce-

dens, Argentiæ interim Gallicanam

conſtituit Eccleſiam:

Reſtitutus demum Genevæ, ſummã omnium

voluntate, denuo inſtauratam Eccleſiam ac

conſtabilitam, totos annos XXIII.

continuos gubernauit:

Commentarijs in ſacram ſcripturam exquisitis,

ac prætereà libris permultis dogmaticis,

maximè de Euchariftiæ negotio,

editis clariſſ.

Obijt ex Phtifi, vigilijs & ieiunijs immodicis

contractã, anno Domi M. D. L. XIV: Aet.

LI. Maij XXVII die.

IN IOANNEM CALVINVM

Theologum.

THEOD. BEZAE.

Roma ruentis terror ille maximus,

Quem mortuum lugent boni, horrescunt mali:

Ipsa à quâ potuit virtutem discere virtus:

Cur adeo exiguo ignotoq; in cespite clausus.

Calvinus lateat, rogas?

Calvinum asiduè comitata Modestia viuum,

Hoc tumulo manibus condidit ipsa suis.

O te beatum cespitem tanto hospite!

O cui inuidere cuncta possint marmora!

E I V S D E M.

Te viuo, Calvine, fuit mihi viuere dulce;

Hei, quàm dulce foret, te moriente, mori!

Et tamen est, fateor, grata hoc mihi nomine vita,

Quod, tibi quas fundam, sufficiat lacrymas.

Viue igitur Beza in luctus, tibi ut vsque perennes

Calvini in tumulum vita ministret aquas:

Iunctura absenti donec te rursus amico

Mors pariter vitam finiat & lacrymas.

B. CORNELII BERTRAMIL.

Ex Hebræo.

Promissam in terram populum deducit Hebraum

Iosua dux, altâ pace iubetq; frui:

Hoftes deuincit, terram partitur, obitq;

Officij ut monuit sedulo quemque sui. R ij

*Præstitit ista suis Caluinus, & astra petentem
Spirituum patri reddidit ipse suum.*

E I V S D E M.

*Est Itali quiddam scorti monstrasse profusos
Luxus, & sordes annumerasse vagas.*

*At nouisse dolos, simul occurrisse, animoq,
Præsenti libros opposuisse sacros:*

*Inde Sophistarum nodos soluisse, breuemq,
Et veram ad Christum proposuisse viam:*

*Aeterna in Christo patris decreta, datamq,
Iam pridem electis intonuisse fidem:*

*Denique ad illius iussa exegisse priorum
Et vitam & mores: hoc opus, hic labor est.*

*Hæc scriptis & re Caluinus præstitit olim:
Qua proba vita dedit, mors pia sancit adhuc.*

P. MELISSI.

*Quid blateras, nobis quasi iam sit lumen ademptū,
Merse Erebi nigro, caece Sophista lacu?*

*Aureus obscurâ nunquam Sol interit umbrâ:
Nec mutat rutilas ignea stella faces:*

*Nube licet piceâ, nebuleq, vaporibus atris,
Abscondant radios ille vel illa suos,*

*Ac velut haud letho sunt occubuisse putandi,
Queis oculos clausit lenta sopore quies:*

*Sic quoque vivit adhuc animo sed corpore summi
Caluinus placide dormit adusque diem.*

Nec tantum viuis modo, sed quondam quod agebas

Nunc agis, o magni maxime prece Dei:

Nobiscumq; hodie loquitur, semperq; loquetur

Spiritus, in scriptis qui viget vsque tuis:

Clarius & multo splendens tua gloria fulget,

Lucifer Eois quam nitet ortus equis.

I procul umbrisequum, procul inigra turba Sopho

Hei nihil ad tenebras lux facit ulla tuas. (rum:

L. G.

Pontificum terror, Romana buccina verax

Nequitia, & sancta religionis amor:

Iucundusq; lepos, cani venerabilis oris

Gratia, & Hybleo lingua referta fauo:

Doctrina excellens, animi prestantia, acumen

Mentis, & humani delicia generis:

Fortis in aduersis animus, prudentia constans,

Insontesq; manus, scriptaq; plena Deo:

Virtutis studium, & toti lux reddit a mundo,

Canaq; honoranda cum pietate fides,

In miseros non parca manus, pia cura suorum,

Et quicquid mores non sinit esse malos:

Demisere caput, quo tu Caluine, sepulcro:

Et tecum (heu facinus) contumulata iacent.

Mentior: eternis etenim te laudibus ornant,

Et secum ad superas te rapuere domos.

R ij